

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Wilhelm Dresde

Comparatus Joelis de effusione Spiritus Sancti vaticinium cum Petrina ejusd. vaticinii interpretatione

Spec. 2

Vitebergae: Dürrius, [1783]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823893944>

Band (Druck) Freier  Zugang 





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823893944/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823893944/phys_0001)

DFG

Fc-1419. 1-12





COMPARATVR
IOELIS DE EFFVSIONE SPIRITVS
SANCTI VATICINIVM
CVM PETRINA EIVSDEM VATICINII
INTERPRETATIONE

S P E C I M E N A L T E R V M

P R O G R A M M A
I P S I S
SACRIS PENTECOSTALIBVS

A . N . M D C C L X X X I I

P R O F O S I T V M

A V C T O R E

F R I D E R I C O G V I L I E L M O D R E S D I O

S S . T H E O L . D . E T P R O F . P V B L . A L V M N . E L E C T . E P H O R O
O R D I N I S S V I H . T . D E C A N O

V I T E B E R G A E
L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I ,

Fr-14192^b

CONVENTUS
IOPHIS DE EDITIONE SPERLITA
SANCTI VATICINII
CVM FESTA EISDEN AVIZIEN
INTERPRETATIONE
M. T. CICERO ET PLATONIS

АМИЛЛОД
—
ЗАКРИС ПЕМТЭОЗТЛЯХА
—
АМДСКИИ
—
МОЛГОДОН
—
ДАЧТОР
—
ТРИДЕРИО ГАЛТИЛЮ ДРАСДО
—
СЕМБОР О НІ ЗІСЕ ЕВРІДІКІН НІГІДО
—
СІДІНІ САЛІНДІФОН

COMPARATVR
IOELIS DE EFFUSIONE SPIRITVS
SANCTI VATICINIVM
CVM PETRINA EIVSDEM VATICINII
INTERPRETATIONE.

S P E C I M E N A L T E R V M.

Anno praeterito, quum nostris *Ciibus* scripta praelusio-
ne Solemnia indicenda essent Pentecostalia, *comparare*
coepimus *Ioelis de Effusione Spiritus Sancti vaticinium cum*
Petrina eiusdem vaticinii interpretatione, simulque promisimus, re-
fliqua nos esse alio, si coeptis Deus votisque annuerit, tempo-
re persecuturos. Recurrentibus itaque iisdem sacris, nobis-
que iterum mandato indicendis eis praeludendi officio; nihil
aptius ad rem videtur, quam ut hac ipsa occasione contracto
nos liberemus nomine, coeptamque dissertationem absoluam-
mus. Fecimus autem in ipso primi Speciminis limine duas
huius dissertationis partes, unam, quae *de ipso Ioelis vaticinio ex-*
poneret, alteram, quae *Petri interpretationem* cum illo compara-
ret. In illa fuit animus, potiores laudati vaticinii difficultates
discutere, quarum alias diximus ab ipsa eius *lectione*, alias a *lo-*
cutionibus pene singulis, alias a *nexus cum praecedentibus sequentibus-*
que, alias denique a *dissensu interpretum*, repetendas esse. De

A 2

lectione



lectione ^{a)} singulisque vaticinii locutionibus iam vidimus, hisque satis probe discussis licebit nobis nunc in persequendis reliquis breuiores esse.

Nexus vaticinii cum praecedentibus sequentibusque valde impeditus est, propter rerum potissimum, quae copulantur, dissimilitudinem, et quod nihil in promtu est, ne Iohannis quidem aetas, unde, quo tempore singula vel iam euenerint, vel adhuc euentura fint, tuto colligi possit. Videntur tamen quaedam, quae hoc faciunt, prae ceteris plana, nimirum haec: 1) *ipsius vaticinii praedictis neque posteriora esse posse, quae antecedunt, neque priora, quae sequuntur;* dicuntur enim ea, quae ipso continentur vaticinio, successura esse iis, de quibus sermo fuerat in antecedentibus, וְהִיא אַחֲרֵי כֵן cap. III, 1. (aliis II, 28.) sequentia autem euentura esse eodem, quo ipsum vaticinium, tempore, כִּי הָנָה בִּימִים הַהְמָה וְבַעַת הַהְיָה cap. IV, (aliis III,) c. 1. 2) *in antecedentibus de una agi re,* nimirum de ingenti malo, Dei populo, nondum penitus in captiuitatem abducto, partim iam illato, partim adhuc inferendo ab aliis, sed vindicando quoque diuinitus, et rebus in melius conuertendis abunde compensan-

a) Nachi nuper tomum alterum Kennicottiani operis, qui Iohannis quoque librum et congregatas in eum varias lectiones complectitur, nostrum existimamus, paucis hic addere, quomodo se habeat lectionis varietas, a Kennicotto descripta in hunc Iohannis locum. Redeunt omnia ad haec: 1) Contulit Kennicottus ad XII. Prophetas Minores 337 Codices Hebraicos. Ex his per totum Manuscriptos 69, et Impressos 16; in locis selectis Manuscriptos 123, et Impressos 15, contulit. Reliqui 114. constant Haphtaroth, in quibus locus nostra non habetur. 2) Ad locum nostrum 43 in vniuersum obseruauit lectiones, quae ab Hooghtiana editione discrepant. In his a) 14 sunt manifesto pravae. b) aliae 24, valde exiles sunt, nec dignae, quae referantur. c) aliae quatuor nullius ad rem momenti sunt. d) non nisi una cum antiquis congruit Interpretibus, בְּחֹרֶכֶם cum Vau praefixo pro חֹרֶכֶם, quomodo habet unus Codex MStus Hafniensis, 1301 exaratus, conuenienter LXX Interpretibus, Syro, Hieronymo, Petrinae allegationi, Arabi. vid. Specim. huius dissert. primum pag. 7.

❧ ☙ ☧

5

pensando, vid. cap. II, 25. coll. cap. I, 4. 3) malum hoc tribui gentis cuiusdam quater repetitae, et in vices singulas latius graffanti incursioni in terram sacram, locustarum more, quarum aliis nocentiores solent aliae succedere, cap. I, 4-6. ubi clarum est, sub locustis gentem quandam intelligendam esse. 4) huius gentis incursionses priores accidisse iam paullo ante quam Ioe loqueretur, cap. I, 6 etc. ultimam vero omnium maximam grauissimamque paullo post euenturam esse, cap. II, 1 etc. 5) gentem istam aquilonarem esse, factaque impetu nouissimo, in ipsa terra sacra interque duo eius maria diuinitus prostratum iri, cap. II, 20. 6) historia duce descriptionem hanc solis aptam esse Assyriis, b) quos constat ab Aquilone terram sacram quater singulisque vicibus maiore vi inuasisse, primo quidem Phule, deinde Tiglatipile sare, tum Salmanassere, denique Sanheribo, agmina ducentibus, ultimoque funditus prostratos esse ante Hierosolymam, medium inter duo maria sitam. 7) sic constare quoque, quo tempore Ioe vixerit, et vaticinatus sit, nimirum paulo ante expeditionem, a Sanheribo aduersus Iudeos et Hierosolymam suscep tam. 8) vaticinio de Spir. S. effusione nullum per historiam euentum alium satis accurate respondere, quam qui Actor. II. traditur; liquet hoc ex rei praedictae partim in dolo, אֲשֶׁר ef fundam, partim obie^{ct}o, על כל בשר super omnem carnem, partim coniunctis prodigiis, וּבְתִי מַופְתִים בְשָׁמִים וּבָאָרֶץ edamque miracula in coelis et in terra, partim denique ipsius temporis definitione לפנֵי priusquam veniet dies Domini, collat. Malach. III, 23. 9) in iis, quae vaticinium de Spir. S. effusione sequuntur, praedici Iudeorum, restitutorum ab exilio, et Hierosolymae instauratae, protectionem talem, qualis etiam Ezech. XXXVII—XXXIX. prae dicitur, et qualis per historiam nondum evenit, colligique inde simul posse, Iudeorum exilium cap. IV, (aliis III,) 1. innui non primum, quod stante adhuc templo primo contigit, sed alterum, quod eo-

A 3

dem,

b) Haec Grotii quoque est sententia in Commentario ad Ioelem.



dem, quo praestita erat promissa Spir. S. effusio, tempore accidit, et in quo Iudaei adhuc degunt; 10) *nexus*, quo Sanherib strages cum laudata Spir. S. effusione nouissimaque Iudeorum et Hierosolymae protectione diuinitus praestanda copulatur, mirum quidem esse, attamen Iesiae quoque solemnum, vid. v. c. Ief. VII—XII. et XXXI—XXXV. satisque, si quid videoo, idoneum, propter magnam beneficiorum, quae primo et ultimo loco commemorantur, Iudeis et Hierosolymae post haec praedicta diuinitus tribuendrum, similitudinem, quae medium veluti intercessurum erat tertium, Iudeis et Hierosolymae non nisi ex parte profuturum. 11) ita quidem Ioeлиis praedicta intelligi quodammodo posse, nec tamen aptiam esse eiusmodi interpretationem propter coniunctas difficultates ad communem omnium persuasionem, nisi diuinum accedit testimonium, quod recludat nisi omnia, attamen id, unde pendent reliqua; quod oppido est in Ioeлиis libro medium libri vaticinium, a quo, ut iam monuimus, clare pendent tam praecedentia omnia, quam sequentia. Sicque iterum liquet, opus esse interpretatione authentica ad intelligendum, quo laudatum vaticinium pertineat, quia hoc propter nexus reliquorum ad colligendum et persuadendum aliis nimis est difficile.

Sed adeamus quoque *omnes huius loci* nobis cognitos *interpretes*; sic enim et intelligendi et interpretandi eius summa difficultas adhuc luculentius patebit. Sunt autem huius vaticinii interpretes in tres in vniuersum *partes diuisi*, euentum referentibus aliis ad Ioeлиis aetatem, aliis ad Apostolorum tempora, aliis denique ad rem adhuc gerendam, sive vnicie, sive saltem praecipue. Nec profecto supereft terminus alius, cui praedicta illa aliqua cum veri specie accommodari possint. Ultima sententia Iudeorum est, cum veterum, vt videtur, omnium, tum recentiorum quoque plerorumque. Obseruat enim Hieronymus in Commentario ad Ioeлиis II, 28 etc. *haec omnia* (quae de futura agunt Spir. S. effusio-

7

effusione) *Iudeos* (loquitur procul dubio de Iudeis sui temporis) in ultimo tempore sibi carnaliter repromittere. Idem confirmat Schoettgenius ex Iudeorum libris, ipso Hieronymo antiquioribus, nimurum *Tanchuma* fol. 65, col. 3. *Bammidbar Rabbi* sect. 15. sub fin. *Debarim Rabba* sect. 6. sub fin. *Sohar Debarim* fol. 99. col. 394. in Horis Hebraicis tom. I. ad Actor. II, 16. p. 413. et tom. II. p. 67, et 209. Tuentur quoque hanc interpretandi rationem *Rashi* et *David Kimchi* in commentariis ad h. l. Rabbi Isaak in Munimento fidei p. m. 51. cum primis autem *Abarbenel* tam in comment. ad h. l. quam in singulari libro, **ישועה משמע** inscripto, vbi data opera explicat vaticinia omnia, quae necessario de Messiae adhuc venturi temporibus intelligenda sint. *Med. 4* sententiae Christiani fauent, vt veteres, v. c. *Irenaeus*, *Iustinus Mart.* *Tertullianus*, *Clemens Alexandr.* *Origenes*, *Chrysostomus*, *Hilarius Pictau.* *Ambrosius*, *Theodoretus*, *Hieronymus*, alii^{c)}, ita quoque ex recentioribus potior omnino interpretationum numerus. Sed, vt iam *Hieronymus*^{d)} obseruavit, difficultatem huius sententiae, propter nexus superiorum, mediorum, et sequentium usque ad finem Voluntinis, magnam suo tempore peperisse interpretationis diuersitatem; ita quoque fuerunt non recentiores modo, v. c. *Grotius*, *Turretinus*, alii, verum antiquiores quoque, v. c. *Ephraem Syrus*, qui exultimarent, laudatum vaticinium duplēcē euentum habuisse, Iocelis aetate alium, et alium adhuc luculentiorem Apostolorum temporibus. Primum denique interpretandi modum exornarunt ii potissimum interpres ex Iudeis non minus, quam Christianis, qui ceteris audaciores essent in interpretandis scripturis sacris Veteris Testamenti, sed diuisis sententiis. Ex Iudeis quidem *R. Moses* sacerdos hoc

referens

c) Loca supra iam in Specim. I. passim laudamus.

d) In Comment. ad Iocel. II, 28, vbi fuse de hac re agit.



referendus est, ab *Aben Esdra* laudatus in comment. ad h. l. qui vaticinium de multis intellexit prophetis iis, qui *Iosaphati* temporibus vna cum *Elisa*, et *Obadia*, ipsoque *Ioele*, floruerint. Ex Christianis autem prae ceteris huc pertinent recentissimi interpretes, *Cramerus*, et *Tellerus*, quorum ille in libro, quem inscripsit *Scythische Denkmäler*, omnem mouit lapidem, ut vaticinii euentum *Iosiae* aetati affingeret; hie autem in notis ad *Turretini* librum de sacrae script. interpretatione pag. 59. nullus dubitauit, persuadere aliis sententiam adhuc insolentiorem, nimirum, sermonem hic esse non nisi de euentu proximo, neque de immediatis reuelationibus, verum de amplissima quadam gaudii et tripudii oinnis sexus atque omnis aetatis significatione, et contra vicinorum populorum insigni clade. Nec negamus, harum interpretationum nullam, in se spectatam, plane absurdam esse. Repetitur enim prima ex vsu locutionis אַחֲרֵי־כֵן frequentior; media accurate congruit cum manifesta historia; tertia denique Iudaeorum expectationi apprime respondet. Sed liquet etiam, singulas ingentibus laborare difficultibus. Primae enim obstat promissorum vis atque perspicuitas, comparata cum historia; mediae obstat nexus vaticinii cum praecedentibus et sequentibus valde difficilis; vltimae denique obstat euentus longe certissimus, qui omnibus ac singulis vaticinii promissis abunde satisfacit.

*Apparet itaque, propositum vaticinium, in se consideratum, ita comparatum esse, ut, quo reuera spectet, ad omnium persuasionem a nemine definiri possit, nisi ab ipso vaticinii primo auctore, aut diuino interprete. Crediderunt quoque Christiani omni tempore, non deesse iis, qui fidem habeant doctrinae Iesu Christi et Apostolorum, illius loci interpretationem, quae diuinæ sit originis. Habetur ea Actorum II. et Petro tribuitur Apostolo, estque digna, quam in sequentibus excutiamus paullo diligentius, et cum *Ioelis* comparemus vaticinio,*

vaticinio, praesertim cum nostris temporibus aduersus communem illam Christianorum persuasionem sat multi insurgant ex ipsis Christianis doctoribus, qui illam dispellere ex suorum animis, iisdemque longe aliam ingerere et persuadere studeant sententiam. Quod studium, si probari possit, de Petrina illa interpretatione Christianos huc usque recte iudicasse, non una de causa vituperandum est, ut paullo post videbimus.^{c)} Quae-ritur autem primo, num Petri omnia sint, quae Act. II, 16—20. habentur, an ex parte quoque Lucae?[?] secundo, quomodo Petrus Ioe-lis vaticinium intellexerit?[?] tertio, quo duce Petrus hac in re usus fit?[?] quarto, num laudatum vaticinium ex Petri mente intelligi pos-fit?[?] quinto denique, quid Christianos plane cogat, eodem modo id intelligere, sensumque a Petro propositum tueri sanctissime.

Num Petri omnia, an ex parte Lucae quoque sint, quae Actori. II, 16—20. leguntur, difficilis quaestio est. Is enim, qui loquens inducitur, in aliis manifesto sequitur LXX. Interpr. a tex-tu Hebraico male discrepantes; dicit enim com. 18. ἐπὶ τὰς δέλας με, οὐχὶ ἐπὶ τὰς δέλας με, quod με textus Hebraicus plane respuit, utpote conditum a LXX. Interpretibus, deceptis lectio-ne vocis apocopatae עבדי pro עבדים, seu עבד, et deinde propter sensus inconcinnitatem translatum quoque ad οὐχὶ ἐπὶ τὰς δέλας a sequentibus librariis; Petrus autem non videtur in sermone Hebraico LXX. Interpretates securus. In aliis idem eosdem deserit Interpretes interpretandi caussa, dicens com.

c) Fatetur Cramerus ipse loc. cit. p. 220. Petri Anführung und Erklaerung ist sehr wichtig, und, wenn man erweisen koennte, das wir sie wirklich als Erklaerung anschen koennten, und müsten; so gestehe ich gern, der Exe-gete moegte sich sträuben, wie er wollte, dieser Weislagung einen andern ihm passiendern Sinn zu geben; so müste er sich doch am Ende dabey beruhigen,



com. 17: ἐν ταῖς ἐχάταις ἡμέραις pro μετὰ τὰυτα; Lucam autem tali modo versionem LXX. Interpr. interpretari voluisse, nisi persuasum habuerit, Petrum ipsum in sua lingua hac vsum esse interpretatione, non est credibile. In aliis denique idem diuersa ponit a lectione tam Graeca, quam Hebraica. addit enim com. 17. λέγει ὁ Θεος. ibidem in verbis: καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄφονται, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐγύπτιοι ἐνυπνίῳ θήτονται, sententiarum inuertit ordinem. com. 18. iterum addit καὶ προφητεύεται, et com. 19. rursum addit ἀνω, et σημεῖα, et κάτω; quae omnia ad ipsius loci faciunt interpretationem, ac proinde iterum Petro rectius, quam Lucae tribuuntur. Sumendum itaque, aut Petrum ita prorsus, vt Lucas refert, ac proinde non Hebraice, sed Graece, locutum esse, quod non abhorret a loquendi occasione in tanta auditorum frequentia ac diuersitate; aut Lucam Ieolis locum, a Petro non modo allegatum, verum etiam passim explicatum, tam accurate expressisse, vt diuersitatem lectionis Graecae, quam ceteroquin in vertendo sequeretur, non nisi semel seruaret. Quicquid sit, hoc saltem satis planum est, de nullo loco alio merito dubitari posse, cui tribuendus sit, utrum Petro, an Lucae, quam de illo ἐπὶ τὸς δέλες με etc. qui procul dubio ductus est ex versionis LXX. Int. codice Alexandrino, qui solus cum Aldina editione etiamnum seruat locum integrum. Vid. quae de ea re in primo iam Specimine differuimus p. 8. Sed ponamus quoque cum Grotio, quod tamen propter argumenta a nobis allata nemini concedimus, a Luca esse omnes propositas diuersitates; dubitari tamen a Christianis nullo modo potest, quin Lucas in tradenda tanta re nihil a Petri mente alienum posuerit.

Quaeritur autem secundo, quomodo Petrus Ieolis locum intellexerit, utrum de sola ea re, quae tum gerebatur, an etiam de Ieolis aetate? Nos quidem existimamus, priorem sententiam longe certissi-

certissimam esse, cum ex ipsis disertis Petri verbis, tum etiam ex communi Iudeorum, qui Apostolorum aetate vixerunt, persuasione de laudati vaticinii vero sensu. Com. 16. dicitur Petrus affirmasse, iam id geri, quod dictum sit (nimurum diuinitus, addit enim paullo post λέγει ο Θεος) prophetae Ieielis ministerio; τοτε εἰσημένον διὰ τῆς προφήτης Ἰωῆλ; quae verba hoc saltem docent, Petro persuasum fuisse, hanc ipsam rem, quae nunc geratur, Deum innuisse in Ieielis illo vaticinio. Dicitur porro docuisse Petrus com. 17. **אֶחָדָרִי כֵן** interpretandum esse ἐν ταῖς ἔχαταις ἡμέραις, ac proinde vniuersum sequens vaticinium de nouissimis intelligendum esse temporibus; planum autem est ex constanti usu loquendi in libris N. T. frequenter obuio, hac locutione semper significari Noui, nunquam autem Veteris, Testamenti tempora, sive sequens vaticinium ex Petri mente ne posse quidem de Ieielis aetate agere. Idem Petrus significat com. 22. tam clare Ioelem loco illo de praesentibus vaticinatum esse temporibus, ut signa quoque et miracula praedixerit, quibus Iesus ab ipso Deo Iudeis commendatus fuerit, idque cumpromis attendendum esse; sic enim allegato vaticinio pergit: "Ἄρδετε Ἰσραὴλιταρι, αὐτάτε τὰς λόγυς τέττας. Ἰητὸν τὸν ναζωραῖον, ἀνδρα ἀπὸ τῆς θεᾶς ἀποδελεγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρατι καὶ σημείοις, οἵς ἐποίησε δι' ἀυτῆς ὁ Θεός ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς καὶ ἀυτοὶ οἴδατε; persuasum autem Petro fuit, signa talia et miracula, quibus Iesus suam demonstrauit diuinam legationem, a nullo alio propheta fuisse edita. Idem Petrus declarat com. 33. ne potuisse quidem promissam Spir. S. effusionem praestari ante Iesu Christi evectionem in coelos, quia tum demum huius rei copia facta fit a patre: τῇ δεξιᾷ δὲ τῆς θεᾶς υψωθεὶς, τάντε ἐπαγγελίαν τῆς ἀγίας πνεύματος λαβὼν παρὰ τῆς πατρὸς, ἐξέχεε τότε ὁ νῦν ὑμᾶς βλέπετε, καὶ ἀκόστε. Denique cohortatur Iudeos com. 38 et 39. ut ad Iesum se conuertant mediante baptismo, utpote hoc modo impe-



traturi promissum a Ioele beneficium, quod non maiores ipsorum attinuerit, sed attineat Iudeos hoc ipso tempore quaqua uerum degentes: μετανοήσατε, καὶ βαπτιζήτω ἔκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὄνόματι Ἰησοῦ εἰς ἀφεσίν αἱματιῶν· καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τῆς ἁγίας πνεύματος, ὃντις γάρ ἐστιν οὐ ἐπαγγελτὸς καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς ἐστι μακεῖν, ὅταν ἀν προσκαλέσοντε Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν. Sed fuerunt quoque Petri temporibus Iudei omnes in hac persuasione, Ioeles vaticinium non ipsius prophetae, sed Messiae spectare felicissima tempora. Docent id non Hieronymus tantum, et Schoettgenius, in locis supra laudatis; sed posset quoque pluribus a me, si opus esset, ex Talmude potissimum, probari argumentis. Quare nihil sanius est hac credulitate, Petrum in eadem fuisse sententia, nisi demonstrari possit, oppositam diserte ab eodem afferi aut laudari.

Quo duce autem Petrus ad hanc peruenit persuasione, Ioeles vaticinium de hac ipsa re, quae tum gerebatur, intelligendum esse? Primus enim fuit interpretum omnium, qui id doceret; reliqui Iudei euentum vaticinii longe alium expectabant, adeo confidenter, ut paucissimi essent, qui Petri doctrinae fidem haberent. Et quomodo potuit Petrus certus esse, non modo id, quod viderent Iudei et audirent, Spiritum S. eiusque diuinatus promissam effusionem esse, verum etiam eiusdem beneficii participes futuros esse omnes, qui conuersa mente, et admisso baptismo, Iesu nomen profiterentur, praesertim quum euentus haec asserta confirmaret? Estne probabile, id eum ab alio habere potuisse, quam ab ipso tantae rei auctore? Id vero etiam ipsa historia luculenter comprobatur. Scimus enim de hac ipsa re Iesum quamuis tecēt, fūse tamen, suos instruxisse, ut paullo ante mortem, ita quoque posteaquam in vitam reuocatus esset, et diserte quoque in hac institutione laudasse promissionem

missionem eius rei a Patre factam, qua futurum esset, ut ipsius discipuli Spiritu Sancto imbuerentur veluti effusa aqua. Luc. XXIV, 48. et Act. I, 4. 5. Scimus quoque eum suis promissis, futurum esse tum, quum euenissent laudata missa, ut ipso Dei Spiritu ducti, rerum omnium a se traditarum veritatem et ipsi intellegirent, et docerent quoque alios. Plenum autem sancto Spiritu Petrum fuisse, et ab eius nutu ductuque pependisse totum, quum Ioelis locum interpretaretur, cum differte traditur Act. II, 4. οὐχὶ ἐπλήσθησαν ἀπαντες πνεύματος ἀγίας, οὐχὶ ἤξαντο λαλεῖν ἐτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδε αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι; tum significatur quoque com. 14. σαθεῖς δέ πέτρος σὺν τοῖς ἐνδεκα, ἐπῆρε τὴν Φωνὴν αὐτῶν, οὐχὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς, vbi idem vocabulum ἀποφθέγγεσθαι recurrit, quod LXX. Interpretes non nisi de diuinis interpretibus siue veris, siue falsis, usurpant, quodque Grotius recte existimat eadem vi a Luca adhiberi Act. I, 4. et 14. et XXVI, 25. Saltim hoc certum est, laudatam vocem com. 14. eodem, quo com. 4. sensu sumendam esse. Nisi igitur quis malit vel incite, vel petulanter, hinc ab omni probabilitate, hinc ab historia longe maxime perspicua aberrare; fatendum est, Petrum Ioelis locum non proprio Marte, sed primo quidem ex ipsius Domini institutione, deinde vero Spiritus Sancti, missis olim factis conuenienter coelitus missi, ductu intellexisse, ac proinde interpretationem eius prorsus diuinam esse.

Potestne vero Ioelis locus ita, ut Petrus voluit, intelligi? Id quartum est, de quo non immerito quaeritur, quodque nos in hunc fere modum solui optime posse ac componi, existimamus. Planum est, Ioelem dicto loco rem futuram praedixisse. dicit enim כִּי וְהִיא אַחֲרֵי, estque per loquendi usum, ut supra iam in Specim. I. pag. 13. demonstrauimus, in se dubium, quo-



modo intelligendum fit, vtrum de euentu proximo,
an de remoto. Oportuit itaque sequentes interpretes ex histo-
ria, cum ipso vaticinio comparata, discere, vtrum quid eue-
nerit siue ipsa Ioelis aetate, siue serius, quod omnem vaticinii
vim exhauserit, nec ne. Sicque intelligimus, nisi fingere ve-
limus historias, quod magnum interpretis vitium est, potissi-
mum in tanta tamque clara re, neque Ioelis aetate, neque se-
quentibus temporibus, eiusmodi quid accidisse, quod tam in-
figni minimeque obscuro vaticinio ex asse responderit, nisi so-
lum euentum plane admirabilem, qui Act. II. traditur, quem-
que Deum cum primis decuit, per prophetas luculenter pree-
dicere. Dixeris quidem, nexus impedire tam antecedentium,
quam sequentium, quominus laudatum vaticinium ex Petri men-
te possit intelligi. Sed, quid fiet cum plerisque vel clarissimis
de Christo et Noui Testamenti temporibus vaticiniis, si nexus
coniuctorum plerumque satis mirus te impedit, quominus
vim et sensum eorum capias? Et nonne est interpretis, ex ma-
gis perspicuis reliqua intelligere illisque comuenienter interpre-
tari? Quid autem est in omni interpretatione magis perspi-
cum, quam si ipse auctor de nonnullis, quae sua mens sit,
exponat, ac declareret? Tu vero hanc omnium sanissimam tu-
tissimamque interpretandi legem in interpretandis diuinis V. T.
libris inuertere mauis, nec fidem habere vel fidissimis peritissi-
misque eorum interpretibus, si non omnia, attamen potiora te
docent, quorum ductu facile possis progredi ulterius, nisi per-

stare

stare in iis malueris, quae tibi aliisue magis arriserint, qua interpretandi consuetudine nihil potest esse fallacius. Sicque perspicuum est, nihil omnino esse, quod impedit, quominus laudatum vaticinium ex Petri mente intelligi possit.

Sed coguntur adeo Christiani omnes id ita intelligere, sensuunque eius a Petro expositum tueri sanctissime. Hoc enim nisi fecerint, integrati primo sunt in Dei beneficium longe certissimum. Docent enim superius demonstrata, indigere praedicta a Ioele omnia, praesertim vero illa de futura Spiritus S. Effusione, a quibus pendent reliqua, ipsius auctoris, quo reuera spectent, patefactione; potest autem ea, quam Actorum II. Christiani habent, nulla esse certior. Deinde quoque Christiani omnes, qui Petri respuunt de vero huius loci sensu testimonium, hunc ipsum diuinum interpretem, quem nobis ipse Dominus diligenter commendauit, insigni afficiunt contumelia; si quis enim negat, Ioeлиis vaticinium ex Petri mente intelligendum esse, is eo ipso declarat, Petrum rei christianaे interpretem fuisse perquam ineptum, praesertim quum de vera ipsius sententia nullo modo dubitari possit. Idem tertio vehementer turbant certissimam intelligendarum scripturarum sacrarum V. T. normam in locis praecipue difficilioribus, et ad institutionem christianam plurimum facientibus, vt pote in quibus nihil potest esse certius et ad omnium persuasionem accommodatius, quam ut Deus ipse declaret, quo sensu singula intelligenda sint. Inde vero quarto facile



facile intelligitur, quantopere eiusmodi interpretes vniuersae rei christiana noceant, dubia reddentes omnia, quae certissima sunt, et de quibus etiam Dei beneficio inter Christianos partium temporumque omnium satis constitit, sive non turban tes modo rem christianam omnem, sed reddentes quoque multos alios partim imperitos, partim incautos, ad imitanda vitia similia praecipites.

Diligenter itaque cauete Vobis, *Ciues Optimi*, ab his et similibus recentiorum interpretum erroribus, quibus latius spar sis non potest non res christiana in dies ruere in deterius, hisque ipsis diebus festis ad animum reuocate, Vobis non defuisse, qui blande Vos monerent et amice de hoc nostrorum temporum periculo. P. P. in Acad. Viteb. ipsis sacris Pentecost. An. CICICCLXXXIII.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



[http://purl.uni-rostock.de
rosdok/ppn823893944/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823893944/phys_0028)



tur. Ille e N. T. quaedam attulit loca. Nec
potio vocabulorum τε οὐς τε αὐθεωπάς de Christo
sibique familiarissima, quod Pharisei eum fili-
profitebantur. Reliquum est, vt pauca dicam ad
viam tum verbi αἰων Xenophonti κυρὶς παιδεῖας lib.
τι temporis vitae visitati: καλλιον καὶ ηδίον τον αἰωνα
in familiaris Iudeorum loquendi rationis γένεσιν εν
τε τῷ μελλοντι, quam Marcus loco citato per γένεσιν
τον αἰωνα αλλ ενοχος εγένετο αἰωνις ηριστεως interpretatur.
libris Sacris non infrequentem etiam exprimunt
nas graues dabit. Itaque difficile est dictu, Chri-
tianionem Iudeorum tetigisse, se partem in altera
uant, habituros. Varias significationes vocum
αἰων μελλων, Ebraeorum עולם הזה atque
enumerat Meuschenii N. T. e Talm. illust. &
comment. in Ep. Pauli ad Eph. exc. 1. Totum
transfero: si quis hominibus probra obiicit, faci-
habitetur illi: at qui in signa diuina maledicēta dicit,
impune faciet; quod in exemplo Pharaonis cerni

